

debet esse ordo alicujus rei receptibilis: ergo formæ omnino irreceptibiles, sicut sunt Angeli, carent omni ordine ad materiam: ergo carent omni principio multiplicandi materialiter substantiam, et non specificè: quia remoto omni ordine ad materiam solum restat forma in ratione et officio formæ, hoc est in ratione specificandi et formalizandi: hoc enim est munus formæ, scilicet dare speciem rei: ergo non potest intelligi quod forma sub hoc respectu, et consideratione formæ et sine ullo ordine ad materiale principium dividatur, et non specificè et formaliter.

Circa secundam propositionem, scilicet quod repugnet Angelis adungi ab extrinseco aliud principium, quod non sit materia, per quod fiat multiplicatio individualis, infra circa solutionem secundi argumenti ostendemus id repugnare.

## SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XV. Primo, objicies fundamentum oppositæ sententiæ: Ab eadem entitate, seu forma provenit gradus genericus, specificus, et individualis, si quidem isti gradus metaphysici non distinguuntur realiter, sed sunt idem a parte rei in eodem subjecto: ergo proveniunt ab eadem forma, et principio: ergo non indiget individualis multiplicatio distincto principio a specifico, ita ut sumatur distinctio numerica a materia, quæ est altera pars compositi, sed in qualibet re simplicissima hæc tria inveniuntur, genus, species, et individuum, ita quod unum prædicatur de alio: non minus enim genus prædicatur de specie, quam species de individuo: ergo ab eadem forma a qua sumitur genus, et species, sumitur etiam individuatio. Et

rursus, sicut genus, ut multiplicetur secundum speciem, non est necesse distingui secundum rem principium generis, et speciei, seu distinctionis specificæ, nec etiam oportebit quod distinguatur secundum rem principium multiplicationis individui a forma, seu entitate a qua sumitur species et ejus multiplicatio.

Hanc objectionem ponit p. Vasquez ubi supra, tamquam fundamentum suæ sententiæ, intendens quod tamen substantiis simplicibus, quam compositis non debet esse principium individuationis distinctum ab ipsa specie. Nihilominus respondetur verum esse quod ab eadem entitate totali sumitur ratio generis, speciei, et individui, sed non secundum eundem respectum, et ordinem, nec secundum easdem formalitates, vel conditiones, quia ad hoc ut sit principium gradus generici, vel speciei, sufficit forma secundum officium formæ, seu formalem rationem magis, vel minus contracte, seu determinate accepta; atque adeo secundum statum magis potentialem et indifferentem quod pertinet ad rationem generis, vel magis determinatum et actualem, quod pertinet ad rationem speciei, quia tam genus quam species constituunt ac dividunt quidditative, eorumque variatio, additio, vel multiplicatio variat essentiam quidditative. Ad gradum vero individualem requiritur forma, non secundum officium formæ, qui est modus constituendi formaliter specificè: sic enim repugnat quod multiplicatio formæ, secundum hoc munus et officium formæ, possit esse radix et principium, seu ratio distinguendi aliquam substantiam, non formaliter et specificè, sed substantialiter et individualiter, cum sub ista formalitate et consideratione forma solum exercent illud quod est formæ, et specificationis.

Oportet ergo quod si forma individuatur, extrahatur ab ista consideratione formalizandi, et specificandi, quod est proprium munus formæ, et accipiatur secundum ordinem ad materiam, vel secundum conditiones divisibilitatis substantialis penes principia materialia, eo quod principium, seu ratio multiplicationis individualis intrinsece, et per se requirit illas duas conditiones supra positas, scilicet quod sit ratio multiplicandi substantialiter, et non formaliter seu specificè, quod solum invenitur in principio substantiali materiali, quatenus est capax plurium partium, quæ in eodem toto conjunctæ integrant ipsum substantialiter, et tamen sine aliqua illorum potest salvari natura illa, ut homo sine brachio, vel sine manu: divisæ autem constituunt diversa individua, seu supposita, quæ essentialiter quidditatem speciei non variant, licet substantialiter multiplicent; quare illæ naturæ, quæ puræ formæ sunt, ita quod omni ordine ad materiam carent, carent etiam omni principio multiplicandi individuationem, et per hoc solum quod sunt irreceptibiles, et incommunicabiles in se unicam suam individuationem accipiunt.

XVI. Quapropter ad argumentum in forma dicimus, quod ab eadem entitate sumitur gradus specificus, et numericus, distinguo; ab eadem entitate sub eodem respectu et consideratione, nego; sub diverso, transeat; et sic ab eadem entitate, ut induit respectum ad materiam substantialem, vel ad conditiones materialis principii, sumitur gradus individuus, et multiplicatio ejus: ab eadem autem entitate secundum respectum, et munus rationis formalis sumitur gradus specificus, vel genericus prout forma habet rationem, vel munus specificandi et formalizandi magis, vel minus deter-

minante, quia proprium munus formæ est determinare, et actuare, et consequenter distinguere essentiam diversa actuazione et determinatione essentiali, sicut proprium munus est materiæ divisionem partium facere secundum diversam incommunicabilitatem, quia de se est ultimum subjectum ulterius incommunicabile, quæ diversitas, et distinctio per modum incommunicabilitatis propria est individuorum, quæ dicunt gradum ultimum et incommunicabilem.

Nec obstat quod a materia sumitur genus, et sic non poterit ab eo sumi individuatio: ducitur enim quod genus non sumitur a materia physica, sumendo materiam pro altera parte compositi, sed pro eo quod magis potentiale, et indeterminatum est in ipsa natura, seu forma. Et dato quod sumeretur a materia, non tamen sub eadem consideratione qua individuatio, vel multiplicatio ejus. Genus sumitur a materia ut aliquid potentiale est ad plures formas, et formaliter determinabilis: individuatio a materia, ut ultimum subjectum incommunicabile: multiplicatio ab ea, ut divisibilis est substantialiter per partes, et non specificè.

Secundo, dicitur ad majorem explicationem hujus quod ab eadem entitate, et forma sumitur gradus specificus, et individualis, distinguo; gradus individualis, cujus est capax talis natura, concedo; gradus individualis, ut multiplicati per varia individua, nego: hæc enim multiplicatio, et distinctio exigit præter entitatem individuandam, principium aliquod, et radicem in natura, ratione cujus sit multiplicabilis in substantia, et non in specie. Itaque in natura angelica individuatio datur, sed unica, non multiplicata, et hæc individuatio sumitur ab eadem entitate, seu forma

quatenus irreceptibilis est, et incommunicabilis alicui materiæ, quia forma completa est, et subsistens. Et sic ex eodem principio formali, non quatenus multiplicabilis est formaliter, sed quatenus incommunicabilis, et irreceptibilis est, in se redditur ultimate individuatus. Cæterum multiplicatio individuationis non potest habere pro principio id quod est ratio formalis specificationis, sed sub diversis respectibus, et considerationibus entitas aliqua est multiplicabilis specificæ, et numerice. Itaque aliud est dicere in eodem individuo, seu subjecto sumitur ab eadem entitate gradus specificus, et individualis, aliud vero, quod ab eodem principio sumatur multiplicatio individualis, et specifica. Hoc secundum est manifesta implicatio, et non potest verificari in aliqua natura, sive spirituali, sive corporea, cum petant oppositas conditiones isti duo modi multiplicandi. Primum vero etiam in Angelis invenitur. Sed quia ille gradus individualis sumitur a forma ut irreceptibilis, et incommunicabilis est materiæ, et ista incommunicabilitas non est alicujus rei habentis partes materiæ, quarum divisio non multiplicat specificam naturam, sed alicujus formæ omnino separatæ, quæ si dividitur, et formaliter multiplicabitur; inde est quod principium individuationis in Angelo caret omni ratione multiplicationis in individuo, licet in se individuum sit.

XVII. Secundo arguitur: Etiam dato quod principium multiplicationis individualis sit distinctum a principio multiplicationis specificæ, adhuc invenitur in Angelis principium talis multiplicationis individualis: ergo non est quod negetur illis, saltem de potentia absoluta, licet de facto in illis non sit propter aliquos fines extrinsecos, sicut non

sunt plures soles, et plures lunæ. Antecedens probatur.

Primo, quia possunt plures hæc ceitates poni in natura angelica, et cum diversis hæc ceitatibus a Deo produci, et tunc multiplicabuntur individualiter sine alio principio, seu radice, quia ipsamet hæc ceitas est formaliter constitutiva individui, et plures hæc ceitates plurium individuorum.

Secundo, quia natura angelica, licet non habeat materiam ex qua componatur substantialiter, habet tamen causam materialem susceptivam accidentium: accidentia autem sunt proprietates individuales, ut patet in proprietatibus quas assignat Porphyrius in capite de speciebus, et in rebus corporeis per ipsam quantitatem signatur materia, et dividitur ad distinguenda plura individua: ergo non repugnat naturam angelicam etiam signari diversis proprietatibus individualibus, atque adeo multiplicari individualiter. Patet consequentia, quia possunt in Angelo esse plura accidentia numero distincta, ut plures actus intellectus, plures motus, aut ubi, et diversæ aliæ qualitates, quæ a Deo poni possunt in essentia Angeli; ergo in ordine ad ista accidentia potest signari natura Angeli, et dividi individualiter per ipsam naturam, ut susceptiva est diversorum accidentium.

Tertio, natura angelica est capax subsistentiæ, et existentiæ, quæ possunt ab ea tolli, ut si Persona divina assumeret naturam angelicam, et iterum potest resultare alia subsistentia, seu personalitas si dimitteretur a Persona divina: ergo est capax illa natura diversarum personalitatum numero distinctarum, quarum una succedat alteri. Cur ergo non erit capax plurium individuationum, si quidem est capax diversæ subsistentiæ, ut est

terminus individuationis substantialis.

Respondetur negando antecedens.

XVIII. Ad primam probationem respondetur, quod diversæ hæc ceitates non sunt aliud, quam plures individuationes, seu plures differentie individuales substantiales; istæ autem non possunt convenire alicui naturæ, nisi ratione alicujus principii, ex quo habeant multiplicari, et convenire tali naturæ, sicut differentie specificæ, et genericæ ex aliquo principio sumuntur. Non est ergo dubium quin si plures hæc ceitates conveniunt alicui naturæ, et invenirentur in Angelo, multiplicaretur numerice: hoc enim non est aliud quam dicere quod si haberet plures individuationes, seu plures differentias individuales, multiplicaretur individualiter. Sed quia argumentum non ostendit quod tale principium detur in Angelo, ideo negamus suppositum, nempe quod dentur plures hæc ceitates, aut dari possint, supposito, quod non habet principium, unde illa resultent: sicut si homo haberet hinnibilitatem, esset sicut equus, et si haberet alas, esset avis, tamen habere ista repugnat sibi; et si in eodem Angelo essent plures differentie specificæ, idem Angelus differret specie, sed est impossibile quod idem Angelus id habeat. Sic hæc ceitates plurificatæ repugnant Angelo, quas tamen si haberet, plurificaretur.

XIX. Instabis: Cur repugnat Deum supernaturaliter, seu de potentia absoluta alio modo multiplicare individuationem in Angelo, quam per istam divisionem materiæ, et sic sine illa per plures hæc ceitates multiplicare Angelum?

Respondetur, quod ut bene in hac parte notat Vasquez ubi supra, si in aliqua specie multiplicantur individua, id non posset esse per ali-

quod principium extrinsecum, et supernaturaliter superveniens, eo quod individuat in substantiis est gradus intrinsecus, et substantialis et sic intrinsecum principium postulat, et substantiale. Nihil autem substantiale addi potest ab extrinsecis, et supernaturaliter, si quidem unum individuum intrinsecum, et substantiali distinctione ab alio differre debet: ergo non est possibile quod id fiat sine aliquo substantiali principio, et tali quod possit distinguere substantiam entitative, seu substantialiter, et materialiter, non distinguendo speciem formaliter, et ita non potest esse principium formale, neque ipsa forma secundum officium formæ; ergo solum potest esse secundum principium materiale, seu per ordinem ad illud, quia modus hujus divisionis est proprius materiæ secundum habitudinem ad partes quibus divisibilis est. Nihil autem tale potest advenire naturæ per supernaturale principium, quia non potest supernaturalis additio substantiam materialem Angelo præbere, vel substantiale principium mutare.

XX. Ad secundam probationem respondetur substantiam angelicam esse capacem diversorum accidentium: sive specie, sive numero distinctorum pertinentium ad idem subjectum, non tamen dividendum illud, et individualiter multiplicandum: non enim accidentia, seu proprietates individuales sunt principia multiplicandi individua, si quidem multiplicatio individualis substantialis est, et non potest pro principio, et radice habere accidentia: sed illæ accidentales proprietates sunt effectus consecuti, vel conditiones requisitæ ad individuationem, unde præsupponunt principium substantiale, quod habeat capacitatem, et radicem distinguendi substantiam entitative, et non specificæ,

quod non convenit formali principio, ut formale est, nec substantiæ ipsi, ut materiale susceptivum est accidentium, nisi aliquid amplius habeat, scilicet partes quæ per talia accidentia signari, et dividi possunt, sicut materia prima habet partes divisibiles, et sic quantitate signari possunt. Et ex talibus partibus sic divisus resultare possunt diversa illa accidentia, et proprietates individuales, ita quod tota substantialis distinctio individuum reducat per se ad diversum principium substantiale; accidentia autem, et proprietates etiam quibus designatur ista individuatio solum se habent ut conditiones requisitæ, vel concomitantes ad talem individuationem, vel multiplicationem. Unde cum in Angelis proprietates illæ, seu accidentia non supponant in substantia habilitatem, seu capacitatem ut dividi possit entitative materialiter, et non formaliter specificè, consequenter plurium accidentium receptio non est signatura, et divisio plurium individuum substantialiter: nec enim quælibet receptio diversorum accidentium constituit, aut designat diversa individua substantialia, cum constet idem subjectum, sine ulla divisione sui, susceptivum esse plurium accidentium. Ista ergo pluralitas præcise ex eo quod recipiatur in substantia, non importat, neque facit distinctionem, et multiplicationem individualem, nisi addatur principium materiale, quod sit partibile substantialiter, et tunc diversa accidentia, seu proprietates designabunt, non constituent illa plura individua.

XXI. Ad tertiam probationem dicitur quod substantia Angeli est capax plurium personalitatum succedentium in eadem natura, distinguo; respectu ejusdem individui, concedo; respectu diversorum, ne-

go. Itaque eadem substantia, seu natura individualis habet in se principium habendi subsistentiam, tamquam terminum, taliter quod si ille terminus tollatur, resultat alius pertinens ad idem individuum, quia nascitur ab eisdem principiis individualibus. Unde talis multiplicatio subsistentiarum non infert multiplicationem individuum, quia sunt subsistentiæ ejusdem individuationis, quarum una subrogatur in locum alterius ut pertinens ad idem individuum, sicut resultat frigus in aqua tamquam pertinens ad eandem aquam, et ab eadem linea, si auferretur punctus terminans, resultaret alius; unde talis Angelus a quo pluries resultaret personalitas, seu subsistentia, non esset diversa persona, sed eadem, quia illæ plures personalitates non censentur diversæ in officio constituendi personam, licet entitative diversæ sint, quia succedunt, et oriuntur ex eisdem principiis individualibus. Subsistentiæ autem quæ constituerent diversas personas, etiam multiplicarent diversa individua, quia oriuntur ex diversis principiis individualibus. Et talis multiplicatio subsistentiarum cum respectu ad diversa principia individualia, et ut constituentes diversas personas repugnant Angelo.

Diversæ autem subsistentiæ cum respectu ad eadem principia individualia, et non constituentes universas personas, sed sibi succedentes in officio, et munere constituendi eandem personam, non repugnant Angelo, quia sic pertinent ad idem individuum. Et ex eadem ratione apparet, quod subsistentia ut subsistentia, non multiplicat individua, quia non est principium individuationis, sed terminus. Unde nisi supponat diversum principium individuationis, per se solum non multiplicat individua. Et sic videmus, quod eadem

subsistentia divina potest plures naturas specie aut numero diversas assumere, nec tamen facit unam individuum naturam ex omnibus illis, et e converso plures subsistentiæ eandem naturam possunt assumere, nec tamen plurificant illam: ergo ex subsistentiis non sumitur multiplicatio individuum. Et ex eadem doctrina solvitur fundamentum Durandi in II, dist. III, qu. III, probantis posse Deum multiplicare Angelos, quia potest multiplicare actiones annihilando modo Angelum, et postea producendo; sed dico quod ista multiplicatio est circa eundem Angelum producendum, et reproducendum, non circa distinctos numeraliter diversos, sicut circa idem numero corpus Christi versatur actio generativa in incarnatione, et transubstantiativa in eucharistia. De existentia vero dicimus quod illa non resultat ex propriis principiis naturæ, sed a Deo datur, et recipitur in natura; et ideo hæc multiplicari potest toties quoties Deus voluerit annihilare, et reproducere eundem numero Angelum. Non tamen multiplicatio existentiarum multiplicat individua, sed supponit ex principiis substantialibus multiplicata, si talis multiplicatio possibilis est.

XXII. Tertio arguitur: In Angelo invenitur vera individuationis, et tamen non habet materiam: ergo materia non est essentialiter principium individuationis in Angelo: ergo neque multiplicationis. Patet consequentia, quia ideo in rebus corporalibus multiplicatio fit per materiam, quia etiam individuationis fit per illam, et sicut materia est principium individuationis, ita et multiplicationis: ergo e converso in Angelis non est principium individuationis, sed aliquid loco illius individuat, etiam aliquid loco illius multiplicabit, et sic non est cur ne-

getur Angelo principium multiplicationis absque materia, sicut neque illi negatur principium individuationis absque illa.

Confirmatur, quia anima intellectiva est forma spiritualis carens in se omni materia, et corporeitate, et tamen multiplicatur individualiter: ergo etiam forma spiritualis completa qualis est Angelus. Nec potest dici, quod anima multiplicatur propter ordinem ad materiam quam informare potest, quo ordine caret Angelus: contra enim est, quia materia est extrinseca ipsi animæ, et ordo ad illam non potest individuarè substantialiter, quia individuationis substantialis non est per ordinem ad alterum, sed per ordinem ad se, cum ipsa anima res substantialis sit, et ad se dicatur: ergo individuationis illa, et multiplicatio non sumitur per ordinem ad materiam, sed antecedenter ad illam: idem ergo erit in Angelo.

XXIII. Respondetur quod individuationis sine multiplicatione naturæ non exigit materiam, neque materiale principium, neque ordinem ad illud, sed sufficit formam ipsam esse completam, et irreceptibilem, seu non dicere ordinem ad aliquid in quo recipiatur, sed in se manere: hoc enim ipso habet in se vim constituendi gradum ulterius incommunicabilem; et sic solum prædicabilem de uno, quod est ipsamet ratio individuationis; quod totum patet in Deo, qui habet individuationem, et singularitatem sine aliqua materia, vel ordine ad illam, et sine aliqua capacitate multiplicationis. At vero ad individuationem multiplicabilem numerice non sufficit incommunicabilitas naturæ, seu formæ, sed requiritur materia divisibilis, seu ordo ad illam, quia requiritur principium fundans divisionem substantiæ sine divisione, et distinctione speciei for-